

AD CASUS CONSCIENTIÆ  
DE MANDATO OLIM  
EMINENTISSIMI, ET REVEREND. D. D.  
PROSPERI LAMBERTINI

S. R. E. CARD. AC BONONIÆ ARCHIEP.

DEINDE SS. DOMINI NOSTRI PAPÆ

BENEDICTI XIV.

APPENDIX NOVISSIMA,  
CONTINENS CASUS RESOLUTOS

Ab Anno MDCCCLIX. usque ad Annum MDCCCLXI.  
inclusive.

Opus Confessariis omnibus atque animarum curam  
gerentibus perutile ac necessarium.

SECUNDA EDITIO HISPANA.



SUPERIORUM PERMISSU:

MARITI: Apud Viduam Eliszi Sanchez. Anno 1770.

\*\*\*\*\*  
**CASUS**  
**IN DIOECESI BONONIENSI**  
**ANNO MDCCCLIX.**  
**MENSE JANUARII.**

**CAS. I.** Titius habet usum, ac propositum consulendi varios Doctores, donec unum inveniat, ad beneplacitum suum ipsi respondentem. Quan sic consulendo, seque ita practice regulando, sit tutus in conscientia.  
 Resp. Titium per se non esse tutum in conscientia. Ratio est, quia ad ejusmodi securitatem esset necesse, quod Titius in casu haberet solidum fundamentum efformandi judicium moraliter certum, tam de rectitudine consilii habiti a tali Doctore, quam de honestate actionis, quam fretus tali consilio ponit in executione; notum siquidem est, ad licite operandum requireti judicium, ne quis practice semetipsum exponat periculo peccandi. Jam vero, ex eo praecise quod Titius, inter varios DD. a se consultos, unum invenerit ad beneplacitum suum ipsis respondentem, eidem plane non suppetit solidum fundamentum efformandi hujusmodi judicium: Quemadmodum enim ex eo praecise, quod quis inveniat aliquam opinionem in libro unius Auctoris, etiam junioris, ac moderni, non per hoc statim eidem occurrit solidum fundamentum efformandi judicium moraliter certum de probabilitate talis opinionis, ut clare constat ex damnatione 27. propositionis proscriptae ab Alexandre VII. quæ dicebat: *Siber sit alius usus Junioris, & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tantum improbabilem;* Ita ex eo praecise quod Titius, inter varios DD. a se consultos, invenerit unum ad suum beneplacitum ipsi respondentem, non per hoc statim eidem occurrit solidum fundamentum efformandi judicium moraliter certum de probabilitate talis responsionis, adeoque de rectitudine consilii habiti a tali Doctore, & de honestate actionis, quam fretus tali consilio idem Titius ponit in executione; prouindeque sic consul-

AD CASUS CONSCIENTIE  
 DE MANDATO OLIM  
 EXIMENTISSIMI, ET REVERENDI DD.  
**PROSPERI LAMBERTINI**  
 S. R. E. CARD. AC BONONIÆ ARCHIPI.  
 DEINDE SS. DOMINI NOSTRI PAPÆ  
**BENEDICTI XIX.**  
**APPENDIX NOVISSIMA.**  
 CONTINENS CASUS RESOLUTOS  
 AP. ANNO MDCCCLIX. inde ab anno MDCCCLIX.  
 Obus Consessariis omnibusque aliisque summis curiam  
 Secundumque beatissime ac necessarium.

SECUnda EDICtO HISPANA.



SUPERIORUM TERRITORIIS

MAGNIT: Abay Vindicta Pissi Secupex. Anno 1720.

lendo, seque ita practice regulando, non est per se tutus in conscientia, ut post. Adrianum in 4. de Restit. quæst. 83. dub. ult. & Navarrum in Man. c. 17. num. 83. docet Natalis Alexander tom. 3. Theol. Dogm. & Mor. lib. 3. cap. 4. art. 1. reg. 31. de sic consulentibus; seque ita regulantibus dicens, quod non veritatem, ac legem Dei exquirunt, sed suæ fomenta cupiditatis; quod coacervant sibi Magistros prurientes auribus, & à veritate auditum avertunt &c. Neque dicas, hæc quidem verificari de iis, qui data opera consulunt imperitos, aut plures adeunt, ut laxum tandem inveniant eorum affectioni indulgentem: nequaquam vero de iis, qui solos consulunt doctrina præstantes ex puro animo agnoscendi, an pro rei veritate ipsis licet aliquid facere, vel omittere, prout supponitur fieri à Titio: hi namque, si intra tempus discretum consulunt plures ad hunc finem, utuntur jure suo, ac medio licto, & si inveniunt ad placitum respondentem, qui assertum suum validis rationibus prober, ac solide aliorum momenta refellat, tute utique possunt juxta hujus responsum se practice regulare, eidem adhærendo, tamquam opinioni solide probabili, ut cum utroque Sanchez, Bonac. Palao, & aliis docet Joan. Angelus Bossius de Consc. Opin. part. 1. tit. 1. §. 22. num. 220. ac Viva in præfatam propositionem damnatam num. 7. Ne dicas, inquam, in primis enim (ut notat doctissimus Christianus Lupus cum aliis, ipsaque experientia fit compertum) admodum raro continet, quod inveniatur iste Vir, afferens rationem firmam, ab aliis Doctoribus vel non solutam, vel non animadversam; quique aliorum rationes adeo facile refellat, si, & hi sunt in scientia talis materiae valde versati, ac utriusque partes sedulo librarunt. Propterea cum merum accidens sit, quod ille Vir adeo præstans quandoque inveniatur, tutum profecto in conscientia nequit per se reddere Titum, sic consulentem, seque ita practice regulantem ex usu, & proposito, ut exponitur in Casu; usus namque frequentiam importat, seu connotat. Deinde etiam transmisso, quod Titius ita se regulans ex usu, unum hunc singularem Virum inveniat; non per hoc sit statim per se tutus, nec ideo ruto adhæret ipsius responso, quia inter varios DD. à se consultos hunc unum invenierit ad suum placitum ipsi respondentem; nam, ut supra dictum est, simplex auctoritas unius Doctoris non efficit assertionem solide probabilem, sed valor rationis in probationem adductæ, ille est, qui veram, & solidam opinionis probabilitatem constituit, ut tradit Alphonsus de Ligorio de Consc. dub. dub. 2. §. 12. n. 69. circa sit. quique proinde validum exhibit fundamentum eidem tuto adhærendi. Unde Titius in casu non ideo est tutus, quia hujusce unius sequitur auctoritatem, sed quia sequitur firmam, & validam rationem, ut recte ait Giribaldus de Consc. dub. 6. num. 41. cum Maderno, & aliis.

CAS. II. Vovit Sergius donare Viduæ per decent annos certam frumenti, & vini quantitatem, ut hac commodius alat familiam suam. At post biennium nunc mortua est vidua. Q. an remaneat Serg. dicta obligatio in reliquos annos?

Resp. resolutionem hujusce Casus proprie pendere ab intentione, quam habuit Sergius, cum Votum emisit. Vel enim finis, quem sibi eo tunc præfixit, fuit commodior alimentatio familiæ, prout satis indicate videntur ea verba Casus, ut hac commodius alat familiam suam. & tunc dico, Sergio remanere dic-

dictam obligationem in reliquos annos: quod enim voverit donare Viduæ frumenti & vini quantitatemi, solummodo probat, personam Viduæ aliquo modo fuisse à Sergio respectam, non tamen ut causam finalem, sed ut medium ad finalem causam deserviens; aut, si vis, ut causam mere impulsivam, cum finis; quem in hypothesi sibi præfixit Sergius in votendo fuerit commodior familiæ alimentatio. Et sic, quia post obitum Viduæ adhuc perseverat Voti causa finalis, dicendum, remanere Sergio in reliquos annos prædictam obligationem; est namque communis Doctorum sententia, quod etsi cesseret causa impulsiva, dummodo tamen perseveret causa finalis, perseverat quoque Voti obligatio, ut videre est apud Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 2. n. 42. Vel Sergius eo tunc sibi præfixit pro fine levamen ipsius Viduæ ab omni anxietate & incommodo in procuranda congrua alimentatione familiæ suæ, prout quandoque fit à propinquis erga consanguineas, aut affines, & tunc dico, quod, quia levamen ipsius Viduæ fuit vera causa finalis, & non alimentatio familiæ, in tali casu non remanet Sergio obligatio in reliquos annos: quia cessante causa finali, cessat obligatio. In dubio postea, quem finem in casu Sergius intenderit, nonnulli dicunt, obligationem Sergio non remanere; tum quia tunc melior est conditio voluntatis libertatem possidentis; tum quia, cum ad voti valorem debeat causa subsistere, idem est dubitare de subsistentia causæ finalis, ac de voti valore. Attento nihilominus præfato tenore verborum, hoc in casu oppositum censeo, eo quia, si attentius verba perpendantur, obvius & connaturalis eorumdem sensus indicat, causam finalem à Sergio intentam, esse commodiorem alimentationem familiæ, non antem Viduæ liberationem ab omni anxietate, & incommodo; ait enim, ut commodius alat familiam suam. Deinde si hoc secundum pro fine habuisse, non dixisset, se donare Viduæ illam quantitatem frumenti & vini, ut commodius, sed ut commode alat familiam suam: qui enim intendit auferre incommodum, commodum positive intendit inducere, non vero majus commodum, quod positivum jam supponit. Ergo cum finis exprimatur termino comparativo *commodius*, dicendum, quod si non constet de Sergii determinata intentione, commodior familiæ alimentatio censenda sit causa finalis à Sergio intenta; ideoque huic insit dicta obligatio in reliquos annos.

CAS. III. Audit Petronius, rem à se persoluto jam pretio emptam, etiam Vitali fuisse jam antea venditam: Q. 1. an venditio ejusdem rei facta ipsi Petronio sit valida? 2. An hujusmodi res ad vitalem spectet, an vero ad Petronium?

Resp. cum dist. Vel Vitalis, cui talis res fuit antea vendita, & ipse pro ea solvit pretium, seu fecit quid æquivalebit: puto, convenit cum venditore de solutione facienda tali tempore, aut dedit ipsi fidem solutionis ab ipso acceptatam, seu pignus in securitatem solutionis, &c. tunc dico, venditionem ejusdem rei factam ipsi Petronio, non esse validam, ac hujusmodi rem ad Vitalem spectare. Vel Vitalis, cui &c. non solvit pretium, nec fecit quid æquivalebit; & in hoc casu dico venditionem ejusdem rei factam ipsi Petronio, illicitam quidem esse, sed validam, & hujusmodi rem spectare ad Petronium. Ratio p. par. est, quia semel ac etiam

Vitalis solvit pretium, seu fecit aliquid aequivalens, jam pro eo valet illa regula legalis: Qui prior est tempore, potior est jure; & per ipsam solutionem pretii à Venditore acceptam transtulit in se dominium rei; sicuti Venditor acquisivit dominium pretii. Hinc cum res jam in Emptoris dominium translatâ nequeat à venditore valide amplius alteri vendi, quia sub eius jure amplius non est; ideo venditio ejusdem secundo in casu, facta Petronio, valida non est, sed res ad Vitalem spectat, nuptie legitimum dominum. Neque dicas, rei venditæ dominium solum transferri per actualē, & realē, ejus traditionem emptori factam à venditore. Hoc namque falso esse patet ex l. quod vendidi, ff. de contrahenda Emptione, ubi dicitur transferri dominium rei post solutum pretium, vel post fidejussionem datam de solvendo eodem pretio, si res ipsa vendita tradatur, vel realiter, vel juris fictione, hoc est, per dispositionem venditoris ad eam tradendam: cum jus approbet dispositionem venditis ad tradendam rem, perinde ac si realiter tradetur, juxta l. lectos, & l. quod si neque, ff. de peric. & comm. rei vend. ac talis dispositio actuali traditioni à jure aequiparetur, ut videre est apud Rosignolum de Emp. & Vend. prænot. 9. num. 3. Ratio postea sec. part. quod nempe, si Vitalis non solvit pretium, aut non fecit quid aequivalens, venditio dictæ rei postea facta Petronio sit quidem illicita, sed valida, proindeque in hoc casu ad Petronium spectet; in primis ex eo probatur illicita, quia licet Vitalis pro hujusmodi re non solverit pretium, hæc tamen fuit ipsi prius vendita, & per emptionis contractum acquisivit jus ad illam; unde vendor facit ei injuriam dein eam alteri vendendo, isque habet actionem contra ipsum de omni interesse, & damno inde sibi proveniente, & à jure ipsi imponitur poena falsi, ut passim notant DD. Hoc non obstante, quod ista secunda venditio sit valida, & ideo res ad Petronium spectet, ex hoc evincitur, quia per solutionem pretii, fortius jus acquiritur in ipsa re, & completer contractus ex parte emptoris, in quem propterea juxta dicta transfertur rei dominium. Hinc sicuti, non obstantibus praecedentibus Sponsalibus cum una, valet Matrimonium cum altera contractum, eo quia per Matrimonium acquiritur jus in re, per Sponsalia vero solum jus ad rem; ita non præsupposita solutione pretii pro re empia à Vitali, bene vero pro eadem re dein empia à Petronio, ob rationem supra allaram, venditio talis rei facta Petronio valida est; proindeque ad eundem, utpote habentem majus jus, immo & tamquam ad Dominum præfata res spectat. Rosignolus l. c. prænot. II.

### M E N S E F E B R U A R I I.

**CAS. I.** Utuat Cajus rustico egenti fabam cum pacto, ut sibi restituat preium tempore messis in tanto frumento, quod tunc valebit. Q. an hic contractus sit usurarius? Respondeo talem contractum in ratione mutui esse usurarium. Ratio est, quia imponitur onus mutuarii, ad quod non tenetur ex mutui natura, immo quod est contra naturam Mutui. Mutuum namque ex sui natura obligat. Mutuatarium ad restituendum tantumdem in eadem specie, mensura, vel numero, & bonitate: hic vero obligatur. Mutuarius ad restituendam

rem

rem diversæ speciei, scilicet, frumentum pro faba, & quidem ad illud restituendum, cum minus valet, nimirum tempore messis, quo vilius vendi solet. Propterea cum hoc sit usurarium, eo quia tale onus in casu imponitur ratione ipsius Mutui; ideo dicendum est, talem contractum in ratione mutui esse usurarium. Dico in ratione mutui, propriè enim loquendo hujusmodi contractus resolvitur in contractum permutationis, ex regula textus in l. 1. ff. de rer. permutatione. Et resolvi etiam potest in contractum venditionis reciprocæ, si nimirum Cajus obliget se ad nunc dandam rustico fabam justo pretio currente æstimatam; & vicissim Rusticus obliget se ad dandum Cajo tempore messis in pretium tantum frumenti, justo pariter pretio æstimandi: Et in utroque casu, sive permutationis, sive reciprocæ venditionis, si vere servetur æqualitas inter datum, & acceptum, inter mercem, & pretium; seu id, quod traditur loco pretii, neuter ex his contractibus est usurarius; sed uterque est licitus, modo in utroque ineundo habeatur respectus, ac serventur ea omnia, quæ servari debent, ut post Molphesium de contract. tr. 12. c. 13. num. 72. ac Rebello de Oblig. Just. lib. 8. q. 4. num. 4. docet Bonacina de Mut. & Usur. disp. 3. q. 3. punct. 3. n. 6.

**CAS. II.** Berta execrando jurat, se non mansuram ubi modo habitat, eo quod frequenter jurgia cum ejusdem domus incolis succedant. Q. an, mutato consilio, tuta conscientia eadem domo remanere possit.

Respondeo cum distinctione. Vel Berta sic execrando jurans, profert hujusmodi verba ex animo, ac vera intentione jurandi, se obligandi, & exequendi: vel ea non profert ex animo, ac tali intentione, sed potius ex impatientia, & ex quadam consuetudine muliercularum. Si primum; dico, quod perseverante ibidem occasione jurgiorum, per se loquendo, nequit, mutato consilio, tuta conscientia remanere in eadem domo. Ratio est, quia in tali casu nihil deest valori, ad obligationem juramenti, cum fuerit emissum requisita cum deliberatione, ac habeat pro materia, seu objecto finem bonum, vitationem scilicet jurgiorum, quæ regulariter non se junguntur ab actibus iræ, contumeliis, odio, vel similibus, & proinde cum interveniat quidquid requiritur ad istud juramentum implendum & exequendum, nequit per se loquendo tuta conscientia remanere in eadem domo. Dixi perseverante ibidem occasione jurgiorum, quia si hæc cessat, cum cesseret causa finalis juramenti, & objectum ejusdem, cessat etiam juramenti obligatio. Unde Bonacina de legibus disp. 4. quæst. 1. punct. 14. num. 3. cum aliis comm. inquit, juramentum habere hanc tacitam conditionem, nisi causa varietur. Dixi per se loquendo, quia per accidens fieri potest, quod non obstante juramento à se emiso, possit tuta conscientia ibi remanere, puta si sit conjugata, vel alia ratione alteri subjecta, & iis, cui subest, nolit inde discedere; nam tunc potest ibi manere: quemadmodum & in casu quo discessus esset impeditivus majoris boni. Si secundum; dico, Bertam, mutato consilio, posse tuta conscientia in eadem domo remanere. Ratio est, quia juramentum non ex animo factum, ac vera cum intentione jurandi, &c. sed potius ex impatientia, & ex quadam muliercularum consuetudine, non est religiosum,

Ppp

ac

ac verum juramentum; ac proinde nec obligatorium. Unde in isto casu  
Betta utique potest, mutato consilio; in eadem domo rata conscientia  
remanere.

CAS. III. Mutavit Gneus Sempronio tres corbas frumenti, quin explic-  
itum fuerit, an reddenda res esset eadem mensura, vel eodem valore. Q.  
ad quid in casu obligetur mutuatarius. Resp. Mutuatum probabilius obligari ad reddendam rem eadem men-  
sura, tres nempe corbas frumenti in eadem mensura, quantitate, & boni-  
tate. Ratio in primis desumitur ab ipsomet usu, ac consuetudine, de  
qua testantur cum Soto, Lessio, Layman, & aliis, Castropalaus t. 33.  
disp. 4. punct. 1. num. 6. & Giribaldus de Mutuo & Usur. dub. 10. in  
principio: quæ consuetudo fortasse ortum habuit ex quasi virtuali pacto  
inter sic contrahentes, quando inter ipsos nulla intervenit conventio in  
contrarium. Deinde ita exigere videtur ipsamet natura contractus inuiui, de  
eius ratione est obligare mutuatum ad restituendum tantumdem in spe-  
cie quantitate, & bonitate. Neque dicas, sic nimis facile posse in contractum  
ingruere usuram, cum admodum facile sit, quod, vel tempore restitutionis,  
frumentum pluris valeat: quod inconveniens evitatur obligando mutuata-  
rium ad reddendam rem eodem valore, quem scilicet res habebat tempo-  
re mutationis, adeoque obligando Sempronium restituere in casu tan-  
tum frumenti, ejusdem qualitatis, & bonitatis, quantum correspon-  
det valori, quem habebat totum frumentum ipsi mutuatum tempore mu-  
tationis; sic enim vere servatur æqualitas, ac neuter patitur damnum:  
Ne dicas, inquam; nam ad hoc in primis respondeo, quod, cum mutua-  
tionis tempore utriusque contrahenti nota esset possiblitas incrementi, aut  
decrementi quoad pretium rei, uterque etiam potuit quoad hoc respectivo  
suo juri cedere; quinimo, ex tacita conventione, huic cessisse censentur,  
semel ac, non obstante præfata notitia, inire voluerunt contractum mu-  
tui frumentarii, nullo alio superaddito pacto; cum uterque eo tunc æqua-  
li periculo, ac fortunæ subasset. Deinde, cum hujusmodi incrementum,  
aut decrementum pretii sit quid rei extrinsecum, & ab extrinseco prove-  
niens, nimis, ab æstimatione hominum, est quidem mutuo neces-  
sarium, quod restituatur res cum eadem bonitate intrinseca, inobligatio  
ne vero cum eadem bonitate extrinseca, ut cum Castropalaus t. 1. c. tradit Giribaldus de Mur. & Usur. dub. 1. num. 4. versus fin. hinc inferens, quod  
si post contractum mutui pretium rei crescat, aut minuantur sine culpa; &  
mota debitoris, nempe mutuarii, datum, vel commodum pertineat  
ad mutuandum, quatenus huic ille solum tenetur solvere, seu reddere rem  
in eadem specie, bonitate, & quantitate; quod etiam repetit dubito. Ius  
præcitat. quia solum attendi debet substantia rei mutuatæ, ad reservandam  
æqualitatem dati, & accepti, prout est usu, ac consuetudine confir-  
matum. Neque reponas paritatem de mutuo pecuniarum, quæ reddenda  
non est secundum numerum, qualitatem, & speciem illius; quam mutua-  
tarus accepit; sed tantum secundum valorem, quem habebat tempore  
mutationis, si aliter non fuit conventum. Nec etiam quoad pecuniam id  
negatur a pluribus, maxime ex Jurisperitis, & signanter a Cæsare de Pan-  
mol-

mollis tit. 2. decis. 44. adnot. 1. num. 4. & seqq. quia si ex. gr. mutuas  
acepisti centum duplas hispanas, quæ tempore restitutionis in valore cre-  
verunt; etsi videaris restituere plures libras, tamen istæ librae non consti-  
tuunt plures duplas, quam acceperis, sed illas dumtaxat, quas accepisti,  
ac debes; & proinde mutuator a te totidem duplas hispanas accipiendo,  
nullam committit usuram, quia nihil recipit ultra sortem; centum namque  
tibi mutuavit, & centum a te recipit. Quidquid tamen sit de hoc, si as-  
sumptum verum est, ut cum aliis satis comm. eod. dub. 10. asserit Giribaldus,  
disparitas sufficienter habetur a diverso usu, & consuetudine quoad  
rem, & pecuniam mutuam.

### M E N S E M A R T II.

CAS. I. **S**PONSIS ignorantibus impedimentum, inter ipsos contracta fuere  
sponsalia, quæ postea, directo impedimento, ab eisdem fuere  
renovata, sub conditione obtainendæ dispensationis. Q. an isthæ sponsa-  
lia subsistant.

Resp. quatenus renovata eadem subsistere in ratione contractus condi-  
tionati, supposito quod impedimentum sit ex iis, circa quæ concedi solet dispen-  
satio. Ratio est, quia, licet renovationis tempore nondum ablatum esset  
impedimentum, tamen contrahentes illa non renovarunt pro eo tunc, sed  
pro tempore, quo erunt habiles, addita ad hunc finem conditione de  
futuro, honesta, & possibili, nempe obtainendæ dispensationis. Item eadem  
renovarunt novo legitimo mutuo consensu, patiente hinc obligationem ex-  
pectandi conditionis eventum, ut ex l. potior, & l. qui balneum, ff. qui pot.  
in pig. hab. tradit Rosignolus de Sponsalibus l. Præn. 5. sect. 9. num. 8.  
& ex c. Super eo de Cond. Apost. Glossa, & Panormitanus. Sed aliud non re-  
quiritur ad hoc, ut sic renovata subsistat in ratione contractus condi-  
tionati: factum namque tempore inhabili, sed relatum ad tempus habi-  
le, valet pro tempore habili, ut de legato tempore inhabili, sed relato  
ad tempus habile dicitur in l. in tempus ff. de hæred. instit. ergo, &c. Neque  
dicas, conditionem petendæ dispensationis, utpote derogatoriæ juris  
communis, turpem esse, vel saltē minus honestam; cum melius, ac  
honestius sit conformari legi communī, prohibenti nuptias inter impedi-  
tos, quam ab illa recedere per dispensationem; ac proinde cum isthæ  
sponsalia fuerint renovata sub conditione turpi, vel minus honesta, minime  
subsistere, etiam in rationem contractus conditionati; ne dicas, inquam;  
nego enim, præfata conditionem turpem esse, aut minus honestam po-  
sitive, quatenus positive importet defectum honestatis; & dico, eam præ-  
cise esse minus honestam negative, quatenus bonum quidem est, ac honestum  
id facere; melius vero, ac honestius facere oppositum. Porro homines  
in contrahendis sponsalibus, & in petenda dispensatione, non tenentur ad  
melius, sed satis est, quod bene operentur, faciendo id quod est eis per-  
missum. Propterea cum sponsis in casu permissum sit sponsalia conditiona-  
te contrahere modo prædicto, & ad superiorē recurrere, ut cum ipsis  
in impedimento dispensem. Utuntur namque jure suo, & superiorē solet in  
his